volens reverti atque de non impetratis optatis apud parentes conqueri cogebatur. Quid? nonne fabulosa narratio haec de studiis eorumque conditione nonnulla disserere fenestram mihi aperit? Expertè sanè constat, fluvium sensim semper dilabi, nec unquam defluxum sistere vel retrogradi; si itaque cum fluvio ita comparatum est, quid vetat, quominus et cum studiorum occasionibus rem eodem modo sese habere affirmemus? Has scilicet nunquam non se offerre, sed nobis non sentientibus paulatim elabi in propatulo est: harum, harum enim fluxus citior est quam aquarum; harum volatus rapidior est, quam avium; harum transitus velocior est, quam bulla. Quod Occasionis utilitatem proferam, Graecorum promptum interim respondere duco, qui sic: Καιρὸς ἐστι τῶν νόμων κρείττων πολύ, Occasio longè melior est Legibus. Et quid ni? Legum enim utilitas tanta est, ut sine his (: Suadae Tullianae verba sunt :) nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus, nec rerum natura, nec ipse mundus stare possit. Utilitas quidem magna; sed occasionis longè major, longè praestantior, longè melior est: Bonae Leges, si quando oblivione vel contemptu abolitae, tandem tamen repeti atque restitui possunt; ast fugit, fugit temporum pennis avecta Occasio aeternumque sui post se relinquit desiderium, ut in omnibus actionibus, ita praeprimis in studiorum curriculo. Arripienda igitur, dum se sistit et capillata est: nam apprehendi non potest, dum elabitur, juxta illud:

Fronte capillata est post haec Occasio calva.

Ex his omnibus (Saturni vestigia in procrastinandis studiis prementibus adolescentibus) ad oculos patet, quam citò neque non sentientibus optimae quoque in cultura mentis et linguae proficiendi occasiones evanescant, fluviorum instar sensim semper praeterfluant, et, quod jure dolendum, nunquam redeant: idcirco istiusmodi adolescentes apud se locum invenire non recusarent monitum illud Pittaci Mitylenaei: Γνῶθι καιρόν, nosce temporis opportunitatem. Surdis autem narratur fabula. Quemadmodum enim ille adolescens rusticus, ubi aquas defluere cernebat, firmiter sibi alvei evacuationem et opportuniorem inde transeundi occasionem pollicebatur, qua de causa quoque totum diem in ripa fluvii defectum expectans assistebat: ita quoque illa Saturnina genia singulis diebus manibus quasi pedibus datas Musis sacra faciendi occasiones praeterlabi patiuntur meliores et opportuniores expectantes; sed nonnisi invitis venantur, tandemque, dum quasi de coelo decidentes studiis invigilandi occasiones opprimunt, praedam de manibus amittunt, nec unquam tales, quales primae, reperiunt. Quis tandem ergo exitus? qualis quam qui adolescenti saepius nominato evenire solebat: Etenim hic, cum totum diem summo desiderio substitisset, donec fluvius undis deficeret, tandem infectis rebus ad matrem reverteretur, ipsique se nihil, quod obtinere sibi firmiter pollicitus erat,

obtinu-